



B. 209.

AD

AUDIENDAM ORATIONEM  
GODOFREDI HOFFMANNI  
RECTORIS OPTIME MERITI  
MEMORIÆ DICATAM,

QUAM

D. VIII. DECEMBRIS MDCCCL.

HORA IX. ANTEMER.

HABITURUS EST

OBSERVANTISSIME INUITAVIT.

M. A. F. W. RUDOLPH,  
GYMNASII DIRECTOR.

---

Part. X.

de iuv. ad v. a. mat.

*De prudenti dubitatione. II.*

---

ZITTAV. LITERIS FRANKIANIS,



**E**a autem dubitatio, quam haec tenus adumbraui, et docto homini necessaria videtur, et in scholis literariis iniicienda.

Ac primo quidem necessaria est doctis, ut ad certam stabilemque sententiam, quae cuique maxime expetenda est, perueniant; ac tali modo non solum dignitatem suam tueantur, sed etiam communis eruditorum munere rite perfungantur.

Ita enim siue dubitatio, siue cautio, siue cogitandi solertia tantum abest, ut certae ac constanti sententiæ ob sit, ac dubia reddat omnia, ut potius ad certam exploratamque rei rationem recta via ducat, ac temerariam indecoramque vacillationem impedit atque tollat. Qui enim ita querere et cauere sibi solet, nec facile arripiit sententiam quamque obuiam, nec facile abiicit probatam et comprehensam. Ita demum dissimilis erit vasi, aut rimarum pleno, in quo vuui inest, quod est nuperrime infusum, aut tam clauso et firmo, ut, quum nec addatur quidquam, nec detrahatur, omnia que insunt vetustate acescant & corrumpantur. Prompta vero alacritas arripiendi ea, que aut primo innouere, aut nouissime, aut quaerendi odium pariet, aut omnem mentem dubiam incertamque reddet. Quum enim grauius commoueamur iis, que inopinantibus accident, quam iis, que futura prouidimus, si quis preter omnem opinionem iterum iterumque se videt in erroribus esse versatum, vel nimium a se arguientis quibusdam tributum esse: facile adducitur; ut humanæ scientiæ omnino nil sani et certi inesse putet, et quaerendi negotium tanquam ioutile et ludicrum aut relinquat aut ad ingenii ostentationem et anticipitem disputationem transferat. Etenim, qui sibi cauet, ac ingenio suo diffidit, si quando errat, in re quadam peccat, de se recte existimat. Sed qui omnium verissima ac omni dubitatione majora accepisse ac tenere sibi videtur, is, si quo in errore est, non modo in re peccat, sed de se quoque male statuit.

Quemad-

Quemadmodum igitur ille, re falsa abiecta, gaudet, quod sit errore liberatus, ac ratione sua, quæ errauit, sed eum non decepit, ad noua efformanda & exploranda vtitur; ita hic, dulci persuasione animi erepta, dolet ac pudore affectus cum re falsa spem quoque rectiora inueniendi abiicit. **Le-**  
**Qua dignissima sunt, quæ de hac re disputauit PLATO in Phædone. c. 38 sq.**

Deinde sine hac dubitatione non video, qui docti suam possint dignitatem tueri. Qui enim adeo assensus est sententiae cuidam, vt omne erroris periculum ab ea se iungeret, aut pergit in studio suo, aut cessat. Si omnino cessat, finem querendi facit ac quæ super ea re ab aliis disputatione non amplius curat, haud scio equidem an docti nomine indignus sit. Docti enim virtus non tam in memoria cernitur, quam in iudicio. Si pergit in studio, necesse est, sit alterum de duobus, vt aut morosus evadat, dispersionisque impatiens, aut vagæ dubitationis inconstantiaque plenissimus. Quodsi enim ea opinio menti infixa est, fieri plane non posse, ut in studiorum cursu rectiora inueniat. Studium eius nil potest esse aliud, nisi alienorum errorum, qui ei videntur, venatio et insestatio. Quum enim spem concipere non possit, vt legendu meliora suis inueniat: aut nihil habet, quod querat, aut errores; ac vbi in discrepantem sententiam incidit, non potest querere, num melior ea sit, ita enim de sua recte dubitaret; sed vel sine examine seit, falsam esse, quia a sua discrepat. Itaque nec studia aliorum probat, et hominum nil præter errores excogitantium sive stuporem sive malitiam accusat. Quamquam igitur eiusmodi homo in eadem sententia semper futurus est, ac hac in re sapientissimo cuique similis: in errore tamen esse potest, ac si vel veriora tenet, aegritudine tamen sua se ipse conficit, alis molestus evindit, ac sententiam suam tuendo humanitatem amittit.

Quodsi tamen in alterutram partem esset peccandum; malem ferre peccare cum his, de quibus hactenus dixi, quam cum iis, qui arripiunt facile, ac magno stepitu arrepta defendunt; eademque facilitate mox arrepta

relinquent atque impugnant. Ipsi enim, et si nec emendant doctrinam hominum, nec ipsi emendantur; tamen non facile corruptunt eam nec ipsi deteriora sequuntur; multosque inanes motus non modo effugiunt, verum etiam cohibent. Et quantum est his quoque in rebus inane! Hi vero, qui discursant, et satagunt, et amplexantur et abiiciunt, quorum pugnat sententia secum,

Quod petit, spernit: repetit quod nuper omisit;  
Aestuat, et vita disconuenit ordine totο;  
Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis

Hi, inquam, multo mihi videntur detiores, magisque noxi. Quemadmodum enim erroris agnitus et abiectio per se laudabilis et honesta est, sic strenuum erroris amplexionem commendationemque consecuta, imprudentiae temeritatisque habet accusationem, ac cupidam festinationem potius, quam veri amorem arguit. Qui autem promtum eiusmodi et clamorosum ducem, lucem ingenii et consilii sui cunetis porrigentem sequuntur, etiamsi otio haud abundant, longis defatigari solent itineribus, et paludibus immersi, et unde profecti sunt, eodem saepius redire. Itaque neuter horum dignitatem et grauitati docti hominis seruat.

Quod autem homines iure quodam suo ab eruditorum genere postulant et exspectant, ut quid verissimum, justissimum et saluberrimum sit non modo querant, sed etiam administrent ac tueantur: id præstare docti minime possunt, nisi et in amplexanda sententia cautionem, et in tuenda constantiam ostendant; a leuitate vero atque pertinacia æquo remoti sint. Vulgo præcipiunt, genio seculi esse obtemperandum. Sed hæc res quum omnino multas habeat cautiones (Neque enim ex severa lege et consentanea agendum et probandum est, quod vulgo fit, aut a multis probatur, sed quod honestissimum est atque utilissimum) tum ab erudito homine sine circumspectione et accurata consideratione admittenda non est. Doctus homo enim in eo elaborare debet, ut non mancipatus sit opinioni peruvagatae et secu-

seculo; sed ut auctor eius et estimator et moderator iure vocari possit. Sunt quidem in eo, quem genium seculi vocare solent; haud pauca a docto- rum hominum arbitrio remota; quoad autem in opinionibus et sententiis cernitur, eatenus doctorum moderamini subiectus esse certe debet. Iam vero, qui aut adeo sunt assensi cuidam sententiæ, et formulæ, ut veriorem melioremque inueniri vñquam posse strenue negent, aut adeo vacillant et discursant, ut natent fere in opinionum fluctibus: nec digni sunt, qui publicam opinionem regant, nec regere eam possunt. Malus auriga est, qui, quum rheda magno conamine et labore sursum trahitur, sufflamen radiis immittit; sed malus etiam est et multo peior, qui ea quoque, quæ rhe- dam continent, aufert, et tanquam Myrtillus aliquis aut nullum clavum in rotas coniicit, aut cereum. Ac quis fidem iis habebit? *Illi* non cre- dunt homines, siue ad rectiora verioraque tendant, siue nouissima quæque et speciosa probent; suspicantur enim, non falsa sperni ab istis, sed aliena et noua; ac ita verentur, ne, si iis obtemperent, a cursu suo laudabili re- prehendantur. *His* ab initio mentem libenter applicant spei lætissimæ ple- ni; sed vbi mox viæ ignaros ipsos deprehendunt, ire ac redire eos vident, ac nouas vias identidem ingredi, sequi amplius nolunt, duei temerario suecen- sent, et vnde profecti sunt, eo redeunt. Neutrum genus igitur agmen homi- num sententiarumque ducere potest, alterum quia stat, alterum quia vaga- tur; sed auctoritate ii pollent maxime, qui optima tenent, et melioribus pa- tent; optima nempe omnium, quæ adhuc hominibus innotuere; melio- ribus eo, quod adhuc optimum fuit.

Quin autem adolescentes ad veram et liberalem doctrinam ad- spirantes iam in scholis ducendi ita sint, ut hanc virtutem olim consequantur, dubitari vix potest. (Conf. *S. V. GEDIKE Gef. Schulschr. P. I.* pag 34 sq.) Quemadmodum enim modestia quum omnino in omni vita, tum in iudican- do maxime adolescentem ornat; sic iuvenili arrogantia, et affestata iudicij grauitate nil fere est odiosius. Si discipulus, quæ a præceptore suo accepit,

Ita effutire non dubitat, ac si ipse rem docta et diligente examine talem reperisset, qui sapientiam suam scholasticam tali modo in medium profert, ridiculus homuncio est, et ineptus. Sin sententiam vndeconque arreptam aut adeo suam tamquam sapientissimam iactat et venditat, ac de summis rebus hominibusque promte iudicat; non amplius habeo, quo nomine eiusmodi monstrum appellem, aut qua ceremonia eiusmodi portentum procurrem. Sentiat adolescens et puer, sciatque, se nondum eum esse, qui recte iudicare ipse possit, sed qui debeat elaborare in eo, ut possit. Sentiat, præceptorem honestum esse, et diligentem, nec rudem, sed ipso discipulo multo doctiorem, prudentioremque; hominem tamen, qui, vt sibi caueat, errare tamen possit. Videat, dignum esse præceptorem, cuius auctoritati pareat, sed audeat quoque ipse dubitare, ac dubia sua cum præceptore modeste communicare. Hanc enim cogitandi soleritatem cum iudicandi modestia copulando optime et utilitati sue et suo honori consulet. Dignissima lectori sunt, quæ hanc in rem PLUTARCHUS disputauit in libro, quem περὶ τοῦ ἀκροντα inscripsit. (Tom. II. pag. 37. sqq.) quem librum miror nondum esse ad discipulorum prouætiorum usus separatim editum et illuminatum.

Ista modestia in iudicando autem in scholis comparari facilis quam in academiis potest. Requiritur enim colloquium cum discente. Mens vacua et male præparata credit omnia, quæ dicuntur, ut credantur. Hoc naturae et puerili infirmæque ætati consentaneum est. Quodsi igitur statim optio datur eligendi et iudicandi; fieri non potest, quin res subita male cedat et aut in temeritatem aut in morositatem abeat. Præceptor in scholis exponit rem, biquasi de ea non videatur dubitare, et multi eam probant temere, et fatentur id; certe negant, se habere, quod contradicant. Præceptor igitur suppeditat ea, quæ ad infirmandum faciant, ac ita quoque consentientes habet permultos. Addit, cur hæc talia ad infirmandum adferri recte non possint; ac mentem ad eam persuasionem reuocat, a qua eam auocauerat. Hæc professor in academia efficere pariter potest, in utramque

que partem disputando, dummodo auditores perpetuam eius orationem re-  
ete assequantur. Sed in eo nondum sunt omnia. Illud restat, quod maxi-  
mum et difficillimum est, vt sine leuitate et inani motu eligere optimam sen-  
tentiam possint. Ad excitandam cogitandi solertiam ista faciunt, non ad  
moderandam eam et ad certum iudicium dirigendam. Sophistæ et sceptici,  
qui arrodrunt omnia, et nihil confirmant, ita formari poterunt, philosophi  
non poterunt, nisi casu. Nempe ipsa quoque discipuli cogitata, fœtus in-  
genii eius, arguments et methodi explorari et iudicari debent, vt sentiat, quan-  
do dicat aliquid, quando verba solummodo crepet, quando solida sint, quando  
speciosa, quæ profert; vt sentiat, quantum sibi desit, ac cauere sibi dicat;  
vt non modo excitatus sit ad cogitandi industriam, verum etiam ab inani mo-  
tu ac iactatione reuocatus. Itaque si vera sunt, quæ de disputandi exerci-  
tationibus, in quibus ista facultas comparari potest, supra (Part. VIII, pag 63)  
disputauit: negari vix poterit, in scholis facilius eam, quam in academiis  
generari.

Dénique verendum est, nisi hanc facultatem et modestiam in aca-  
demias afferant, ne parum in iis proficiant. Sunt enim multa, quæ imperitum  
adolescentem perturbent, in his maxime præceptorum audiendorum et libro-  
rum legendorum electio. Sunt in academiis viri graues et docti, qui propter  
modestiam in iudicando et diligentiam in eligendo et circumspectionem in  
eloquendo parum emineant, et splendeant; Sunt contra ea ingeniosi homi-  
nes ac dicendi copia abunde instructi, qui recentissima quæque fidenter do-  
ceant, ac magna vi auditorum mentes occupent et teneant, modestiamque  
ita colant, ne quemquam arrogantia sua abigant. Qui igitur alterutro e gen-  
nere præceptorem eligere, aut ab utroque genere proficere cupit, probabi-  
litem debet habere iudicandi facultatem. Sunt ephemerides literariae; non  
omnia, quæ iis insunt, eiusdem sunt momenti ac pretii. Passim enim vide-  
mus, res maxime dubias tanquam certissimas proferri et commendari, ina-

nes

nes laudari, ut illicima deprimi, consilia noxia dari, prout vni homini fortasse haud adeo perito et graui fuerat usum. Quemadmodum igitur is, qui recte dubitare didicit, eiusmodi vocibus parum mouetur, et a statu suo non deiciatur, sic incredibilis est earum in iuuenum animos efficacia. Qui enim auctoritatem earum sequuntur, nescio quo pacto, doctiores sibi videntur, quam qui ex ore magistri acceperunt aliquid. Quæ typis exscripta sunt omnino plus habent auctoritatis apud multos, quam viuæ vocis monita; ac qui judicis in diariis auctoritatem sequuntur, non vnum hominem sequi sibi videntur, sed eruditorum tantum non omnium consensum et sapientiam. Aperienda est iuueni academico omnis fere sententiarum diuersitas; est denique publica quædam et peruulgata opinio, quæ, quum crebro mutetur, non firmis nitit potest fundamentis, sed temporariis et incertis. Ex his omnibus, vt iuuenis liberior, suoque iudicio arbitrioque relictos sine graui damno se expedit, mature discere debet, assensum cohibere, donec non modo ampla comparata sit ad iudicandum et eligendum copia, sed etiam facultas cogitandi adeo sit exercitata, vt et consensum et discrepantiam sententiarum facile inter se expendat, verborum dissonantia sola non amplius decipiatur, et qua quidque via optime cogitetur et explicetur, intelligat.

Reliquum est, vt Senatum nostræ ciuitatis Amplissimum, Ministerium plurimum venerandum, Collegas Clarissimos ac omnes literarum fautores estimatissimos obseruanter rogem, vt memoriam hominis doctissimi ac de hoc gymnasio optime promeriti Sua velint praesentia condecorare.

P. P. Dom. II. Advent, MDCCCI,



Gf 4264.8

ULB Halle

002 160 943


3




sb

4018

n. C.





B.I.G.

Black

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres  
Inches

AD  
ORATIONEM  
HOFFMANNI

OPTIME MERITI

DIC ATAM,

QUAM

MBRIS MDCCCI.

ANTEMER.

RUS EST

SIME INUITAUIT.

RUDOLPH,  
DIRECTOR.

t. X.

d v. a. mat.

dubitazione. II.

BRIS FRANKIANIS,